

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Arnold Burenus

**ORATIO || ARNOLDI BVRENII,|| QVAM IVSSVS EST || recitare in funere Principis ||
Henrici, Ducis Me=||gapolitani.||**

Rostock: Dietz, Ludwig, 1552

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1785832212>

Druck Freier  Zugang





Mk-1325.
~~Mk 4024~~

ORATIO
ARNOLDI BVRENII,
QVAM IVSSVS EST
recitare in funere Principis
Henrici, Ducis Me-
gapolitani.

Rostochij Ludouicus Dietz
excudebat.



ANNO, M, D. LII.



**ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DO-
mino, Domino Iohanni Alber-
to, duci Megalburgensi, suo
Domino clementissimo
S. D.**

CVM superioribus diebus oratio-
tionem in funere principis Henrici habere
à tua serenitate iussus essem, idq; ipsa officij
uox à me efflagitare uideretur, ut hoc honoris genere
principem optimum prosequerer, cuius uoluntati in li-
teris docendis tot annos seruisssem, nec tamen uox tum
rauca, & decoræ actioni minime accommodata patere-
tur me, ut cupiebā, uel tuæ serenitatis uoluntati, uel hon-
ori mei principis debitum officium deferre, responde-
bam eam uoluntatis significationem, quam in præsentia
uocis incommoditas non sineret, me principibus ædita
oratione declaraturum. Etsi ipse non ignorabam me pros-
cul abesse ab ea ingenij ui, & doctrinæ elegantia, vnde
aliquid uel tuæ maiestati decorum, uel honori ducis, qui
modo è medio dicesit, accommodatum proficiisci posset,
tamen uisum est & fidei & officij esse, meum studium ex-

A ij

tue

tue amplitudni, & manibus defuncti principis quoquo
modo probare. Cuius facti cum tua serenitas, pro sua sa=
cientia, causas omnium optime uideat, quibus officio=rum
momenta iure ponderantur, spero tuam clementiam
hoc meum factum, qua est humanitate, in bonam par=tem
accepturam, quam Deus suæ glorie in causa re=ligionis, literarum, & totius reipublicæ pro=uehenda, clementer & misericorditer in
multos annos in columem & flo=rentem conseruet.

Arnoldus Burrenius.

ORATIO ARNOLDI BVRE
nij, quam iussus est recitare in fune-
re principis Henrici, Ducis Me-
gapolitani.

VM Scipioni Africano uis illa
nocturna esset allata, Metellus
Macædonicus, etsi uiuentis fu-
erat inimicus, tamen, auditæ
tantí uiri morte, & damno, quod reipub-
lice acciderat, considerato, ita uir summus
incommodo ciuitatis commotus, & rei-
publicæ clade perturbatus est, ut mœsto
tulit, & uestitu sordidato in publicum
prouolaret, & uoce lamentabili exclama-
ret: Concurrите, concurrite, o ciues, mœ-
nia nostræ urbis euersa sunt. Nam Scipio
Aemilianus hac nocte quiescens nefaria ui-
reipublicæ ereptus est. Quo dicto uir sapi-
ens testatus est, magnum accidere reipubli-
cæ malum, si ea senatore forti, & consilia-
rio bono spoliatur. Quia igitur nos uoce,
quoue orationis genere, uiri principes ac
proceres, aut doloris magnitudinē, quem
grauem & acerbū ex hoc funere senti-
mus, testabimur, aut de clade, quam respu-
blica

A iii

blica passa est non paruam, conquere-
mur, qui non solum senatorem fortem,
sed principem reipublice longe optimum,
non consiliarium tantum bonum, sed pa-
rentem patriæ, prudentia singularem,
authoritate summum, & conseruatorem
pacis incomparabilem amisimus, idque
hoc turbulentissimo seculo, & miserrimo
tempore, quo undique in ecclesiam, in
republicam calamitates graues, & exis-
tia horrenda impendere uidentur, ad quæ
declinanda illa senili prudentia, & auto-
ritate singulari, quasi diuino numine nūc
opus erat. Quapropter, non iniuria tali
reipublicæ præside, & tanto totius ditionis
tutore orbati grauius commouemur,
& non leuiter perturbamur. Verum cum
constantiae & pietatis partes requirant, ne
nimiū animi perturbationi indulgeamus,
neue indecore luctu et dolore frangamur,
sed huic Dei optimi maximi uoluntati &
modeste & libenter obtemremus, expe-
dit, ut oculos ab hoc tristi & acerbo reipu-
blicæ uulnere, cuius conspectu omnium
animis necessa est luctum & mœrorem cō-
citari,

citari, auertamus ad beneficiorum contemplationem, quæ & multa & eximia per hunc principem diuinitus nobis data tenemus, ut, dum ea mente intuemur, & in illorum cogitatione acquiescimus, presentis doloris paulisper obliuiscamur, cogitemusq; huic temporis magis conuenire, ut de gratijs Deo pro tali principe ad tempus nobis concessis agēdis solliciti simus, quam ut luctu incommoda non leuante, sed mala augente stulte nos conficiamus. Quapropter ut uideamus quantum Deo nomine huius magistratus debemus, de huius clarissimi uiri beneficijs in rem publicam, et summi principis laude hoc loco non nihil dicendum. Nec tamen encōmia illa solennia, & familiares huic loco cantilenas à me expectabitis, ut aliquid uel de generis splendore & maiorum dignitate dicam, quam summam esse uos ipsi non ignoratis, uel de fortunę ornementis, quibus omnem eius aetatem prolixe & abunde decoratam uidimus. Sed de ijs solum dicere uisum est, quæ propria sunt p̄ij magistratus & principis uere laudabilis,

A iiiij ut hęc

ut hæc pauca, que, ceteris præteritis, mihi
delegi, quorum primum pietas, qua uer-
bum Dei & doctrinā Christi, relictis pon-
tificum imposturis, & monachorum som-
nijs amplexus est, & per fines suæ ditionis
propagandam curauit, alterum, cura &
labor scholæ maioris reparandæ, & studia
literarum & bonaum artium in republica
excitandi, postremum, uirtus illa admis-
randa, qua hanc rem publicam toto sui ma-
gistratus tempore semper tranquillam &
quietam cōseruauit. De quibus dum bres-
uiter & strictum dico, non tam ingenij ui-
ribus aut aliqua benedicendi opinione,
quam uestra singulari humanitate, & ex-
cellenti uirtute fretus rogo, ut me patien-
ter & benigne audiatis. Quis non uidet in
officijs pñ magistratus, que permulta sunt
& religione ueneranda, & dignitate præ-
stantia, nullum esse uel Deo acceptius, uel
generi humano fructuosius & salutarius,
quam principem efficere, ut illud doctrine
genº, quod filius Dei ex sinu eterni patris
de conseruatione omnium mortalium in
hunc mundum attulit, longe lateque per
totam

totam rempublicam proseminetur, ut illa
euangelij aurora & cœlestis doctrinæ lux
generi humano impietatis tenebris par-
tim uicio nature ingeneratis, partim frau-
de diaboli offusis, partim scelere pontifi-
cum excitatis periculoſe inuoluto ita illu-
cescat, & clare spargatur, ut ex cæca illa
nocte homines emersi se ad ipsum euane-
geliū solem, & diuini dogmatis splendo-
rem referre possint, eumque in hac fœda
mundi caligine, & tanta ueræ religionis
ignorantia, sic ducem sequantur, ne ali-
quando à Christi signis in hac rerum con-
fusionē & obscuritate, ad Sathanæ castra
aberrent, & in uetera mala relabātur. Qua
pietatis parte & diuino officij genere sic
totam ditionem optimus princeps sibi de-
uinxit, ut nulli magistratus reipublicę Me-
gapolitanæ à condito mundo extiterint,
qui aut beneficij dignitate, aut laudis pul-
chritudine cum illo certare possint. Ille mi-
nistros uerbi, & ueræ religionis doctores
ex scholis maioribns, ex uicinis regionis-
bus & locis ad se accessiuit, et ecclesijs pre-
fecit, qui suos exlaqueis Sathanæ, & reti-
bus

A v bus

bus pontificum uirtute euangelij expedi-
rent, & preferendo lucernā uerbi diuini ex-
tenebris istis plusquam Cimmerijs educe-
rent, ut liberati capitali errore & horrenda
nocte, meliore cœlo & luce diuinitus spar-
sa fœlices in perpetuum fruerentur. O be-
neficiūm principis excellens, & meritum
toti ditioni salutare. O rarum uirtutis ex-
emplum, & huic terræ ante illum diem in-
auditum. Nam neque tota ecclesia, neque
ipsa respublica uel cultum Deo gratiore,
uel officia Magistratus in rempublicam
præstantiora, quæ proferat & celebret, ul-
la habet. Nam ut ignorantia & contemp-
tus diuini numinis scelerum extremum
est, sicut Charondæ leges testantur, ita
contra uerus Dei cultus, & eius propaga-
tio in officijs honestatis iure primas tñet.
Quare si omnia beneficia & merita, quæ à
primis huius reipublicæ temporibus in
eam sunt collata à principibus, quos mul-
tos & uittute excellentes, & rerum gesta-
rum gloria claros habuit, in unum omnia
congerantur, tamen hoc unum Henrici
factum illa & beneficij magnitudine, &
rei

rei dignitate longē superarit. Tantopere
in recte factis excellit, & cæteris uirtutum
actionibus splendore honesti prælucet.
Quid, quæso, ipse mundus ex omnium
temporum recordatione uel pulchrius, uel
admirabilius habet in principum operis
bus à pietate profectis ædificatione templi
Salomonis, quod ille Rex spiritu Dei &
omni sapientia admirandus Deo tanto
sumptu, tantoque splendore extruxit, ut
ipse sol in monumentis principum, et ædi-
ficijs regum per orbem terrarum nihil un-
quam aut spectabilius, aut magnificentius
uiderit, siue laboris magnitudinem
spectes, qui in eo perficiendo suscep-
tus, siue auri, argenti, eboris, omnisque præcio-
sa materiæ uim & copiam, quæ in illo ex-
ornando insumpta, siue artis excellentiam
& uarietatem, qua omnes eius partes mi-
rifice sunt decoratae, & pulcherrime expo-
litæ, tamen istud summi regis opus tam
admirabile huic principis laudi non pa-
rum cedit, illaque multo inficerius haben-
dum, nisi quis pluris domum ex materia
caduca & temporis iniuriæ obnoxiam,

quam

quam uiuum & æternum Dei templum,
& ecclesiam Christi faciat, quæ cum à Sa-
thanæ ditione, & pontificum regno ad
Christi societatem & communionem ui-
tute cœlestis doctrinæ traducitur, ingens
gaudium, & maxima læticia toti cælo ex-
oritur, quam nulla alia res humana quam-
tumuis mirifica excitarit. Si igitur illud
munus posteritatis memoria & omnium
admiratione, ut est, dignum habetur, næ
nos ingrati, & ab omni honesti luce auer-
si fuerimus, si tantam beneficij diuinita-
tem non reuerenter suspiciemus, & grato
animo in perpetuum prosequemur. Toti-
us Italæ oculos Cañ Cæsaris beneficium
in rempublicam in se conuertit, cuius rui-
næ multis locis relictæ etiam nunc specta-
tibus admirationem mouent, quo pontis-
nam paludem non solum exsiccauit, sed
etiam per illam medium, multis pontibus
infinito sumptu extructis, uiam strauit,
ut accolis in urbem iter multo & brieius
& conmodius esset. Quod cum homines
beneficij memores gloriose predicent, &
in celum laudibus efferant, qua igitur lau-
dē nos

denos hoc principis Henrici factum orna-
bimus, qui nō iter ad aliqua corporis com-
moda, & interitura præsentis uitæ emolu-
menta, sed ad ipsam cæli arcem, & opta-
bilem illum foelicium animarum cætum
curauit nobis aperiendum, ueptibus Dia-
boli, & spinis impiorum hominum, qui
bus uestitum & interclusum erat, reuul-
sis, ut hinc recta in æternam illam domum
& ueram bonorum possessionem, quam
nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec ul-
la mens humana unquam comprehendit,
læti possemus contendere. Tum hoc ad
tantí facti commendationē accedit, quod
hanc ecclesiæ causam, non aut rei noui-
tate, aut aliqua alia animi leuitate impius-
sus suscepit, ut plurimi per germaniam
magistratus à laude ueteris germaniae, &
maiorum grauitate turpiter degenerantes
fecerunt, quorum alij uulgi exemplo, alij
pietatis simulatione, alij occasione rapien-
di fortunas ecclesiæ, non religione officij,
non studio iuriandæ ecclesiæ adducti, cu-
rarunt uiros bonos & de doctrina cœlesti
recte sentientes parochijs ad tempus præ-
ficiens

ficiendos, uerum simulatque senserunt,
pios doctores & magistratus ecclesiæ cau-
sa uolentes in uitæ fortunarumque discri-
men uenturos, nescio, utrum maiore leui-
tate, an impietate, ante multo, quam aut
periculi ratio, aut necessitatis lex cogeret,
ad imperium sathanæ, & antichristi leges,
relicto Deo, & prodita ecclesia, redire pro-
perarunt. Ita manifeste impij, ut mo-
mentaneum mortalî homunculi decretū
sempiterne immortalis Dei autoritatî an-
teponerent. Non tali animo hic princeps
suauissimam illam saluatoris nostri doctri-
nam amplexus est, sed ea grauitate, ea fide,
qua pium magistratum & principem an-
tiquam ueteris germanie laudem in con-
stantia colenda referentem decuit, quod
constantie & pietatis exemplis satis super-
que demonstrauit, qui toties illustri & pia
doctrine Christi receptę confessione edita
blasphemis & sacrilegis impiorum homi-
num edictis de uera religione deserenda,
& antichristi dogmate recipiendo, Dei au-
toritatem preposuit iuxta euangelij uo-
cem, qua præcipitur, nos oportere magis
Deo,

Deo, q̄itam hominib⁹ patere, & longe
satius esse, de corporis salute, quam de
æternæ uitæ possessione, in discrimen tene-
nire. Intelligitis, quantam & quam ueram
laudē optimus princeps sit adeptus, tum
studio religiosi Christianę propagandæ
per prouinciā, quam imperio tenebat, &
cura iuuandę ecclesię, tum constantia ean-
dem retinendi, ne ē manib⁹ ecclesię uel
fraude, uel minis diabolí extorqueretur,
sed ut pura & syncera posteris relinqueret-
tur. Nunc de eius studio atque diligentia
maioris scholæ restituendæ, breuiter, ut
temporis angustia monet, dicemus. Cum
uir excellens pro sua singulati prudentia,
& summo rerum usu facile prospiceret,
nec ecclesiam semper fœlicem forc, nec
republicam diutius bene habituram, si
non ludi literarij aperirentur, & scholæ re-
ligiose diligenterque constituerentur, in
quibus florentior ætas cum alias bonas
artes, tum sacras literas pure recteq; disce-
ret, ut multi essent, qui scientia uerę religi-
onis, & legum, & omnis humanitatis sic
excellerent, ut ijs uel munera in ecclcsia
docent

docendi, uel partes reipublicæ curandæ
tuto committi & recte mandari possent.
Cumque cerneret magistratus omnibus
temporibus, qui intelligerent, quam per-
sonam sustinerent, & quid cum ecclesiæ
tum reipublicæ deberent, in primis labo-
rassse, ne liberalis iuuentutis institutio, &
fidelis artium explicatio suis rebuspublis-
cis deessent, nullumque principis consili-
um ad fœlicitatem totius reipublicæ uel
parandam, uel adaugendam, uel conser-
uandam rectius & accommodatius esse,
nec in omnibus eius sumptibus, & bene-
ficiis quicquam sanctius aut laudabilius
hac scholæ cura, & recta tenerè ætatis edu-
catione reperiri, nec cōtra in delictis prin-
cipum desertione huius muneris aliud esse
scelus uel reipublicæ calamitosius & gra-
uius, uel ipsi magistratuī magis dedeco-
rosum & turpius, cœpit de schola consti-
tuenda laudatissimorum magistratum
exemplo serio cogitare. Verum cum huic
eius consilio multa iuteruenirent, quibus
literarum causa semper in longius atque
longius tempus non sine eius dolore reij-
ceretur,

ceretur, ne igitur res tam ipsi Deo grata, &
reipublice salutaris, cum magna totius di-
tionis calamitate pretermitteret, ipse iam
morti uicinus, & iam iam è medio discessus
rus, tanta diligentia, labore, & cura cau-
sam scholę egit, ut maiore non posset. O
curam principi uiro decoram, & optimo
magistratu dignam, & studium posterita-
ti memorabile & salutare. Cum quo ge-
nere officiorum profecto nullum militare
decus, nulla castrensis gloria conferenda.
Hæc enim semel fortasse profuerint, at il-
lud semp toti ditioni salutare fuerit. Qua-
re hoc diuino & immortali in rempubli-
cam beneficio nullum dignius & pulchri-
us in summis principum laudibus extare
uidetur. Nam ut tēperies cœli lœtę messis,
& uberis annone causa reperitur, sic &
ecclesiæ florentis, & reipublicæ fœlicis
schola sancte constituta stirps & origo me-
rito censetur. Nec tam zarifa eueni calig-
nantibus corporis oculis opem tulerit,
quam mentis coecitati literarum splendor
& uirtutis & sapientiae lumen medetur.
Vnde grauiter & preclare Aristoteles iu-

B dicat

dicat ad optimum ciuitatis statum, & ue-
ram reipublicę foelicitatem opus esse, ut
mores ciuium sint uirtute temperati, & li-
berali doctrina expoliti, quod partium
naturam atq; uirtutem totius constitutio-
sequatur, & quales ipsi sunt ciues, talem
etiam rempublicā habeamus. Quare hoc
uirtutis exemplum dignitate maius, &
fructu uberioris, quam ut aut paruis inge-
nij uiribus satis comprehendendi, aut hac uul-
gari dicendi ratione, p dignitate predicari
possit. Quod inceptum & inchoatum bene-
ficium utinam ipsi principi per fati leges
reipublicæ, ut uolebat, perficere & inte-
grum prestare licuisset. Sed hic singulari
Dei beneficio, & admirabili huius ditionis
fortuna accidit, quod ut huius reipu-
blicę gubernatio lege, sic etiam illius uirtu-
tis & charitatis in patria hæreditas & imi-
tatio ad nepotes summæ spei principes p-
uenit, qui iamnunc & cura reipublicæ, &
studio bene merendi de ecclesia, sic oībus
bonis se probant, ut hoc graue patrui desi-
derium suis in rempublicam beneficijs to-
ti ditioni in dies magis ac magis levaturi
uide-

uideantur. Habetis optimi principis aīm
& studium in scholas & literas. Nuuc de-
pace, qnod ex tribus ultimum erat, sequis-
tur, ut paucis, sicut de ceteris, differamus.
Quia nescio an ipsa res publica à Deo, si ei
optio daretur, ullum munus, religione ex-
cepta, aut sibi melius & utilius, aut ciui-
bus gratius & dulcius optare possit. Illa
enim ditioni omnia pulchra, omnia saluta-
ria gignit & producit, illa altrīx bonarum
artū, largitrix diuīciarum, & omnis in re-
publica boni conseruatrix. Quapropter
non abs re à poeta inter tragicos ingenio
& dignitate excellenti exclamatur: O pax
opulenta, & beatos inter pulcherrima di-
uos. Illa enim uere res publicas fortunatas
& opulentas reddit, & multo uerius locu-
pletat, q̄ ille Plutus aristophanicus. Cuius
tanti boni princeps, cui nunc iusta solui-
mus, tantam semper rationem habuit, ut
annos quadraginta octo (tot enim magis
stratum gessit) hanc ditionem semper pa-
catam, & ab omni armorum strepitu tran-
quillam conseruarit. Ex quo uno facto nō
uulgaris prudentia principis, & moderat-

B ij tio &

tio, & equitas erga uicinos, & suos eluet.
Quis enim est, qui non uideat pacem uirtutum, quarum modo mentionem fecimus, filiam atq; alumnam esse? q; sicut discordie, contentiones, & bella ab iniuria & uiolentia proficiscunt, ita consensum & mutuum inter ciues amorem, & omnem reipublicae tranquillitatem ex iusticie & moderationis stirpe efflorescere cernimus. Quapropter si philosophi doctrina & uirtute summi iusticiae in partibus honesti, & uirtutibus morum primas iure tribuunt, ita & paci illius filiae in fructibus, qui multiplices & preclaris ex uirtutum & artium fontibus ad uarias reipublicae partes dimananter, eorundem authoritate principatus recte deferetur. Nam pax est quasi custos & firmamentum honorum omnium, que societas civilis alicunde percepit, & quibus haec communis uita diuinatus sustentatur. Verum hic de hominum peruersitate & stulticia non iniuria quis conqueratur, qui felicitatem & salutem, quam res uere pulchrae & bonae presentes adferunt, nec satis agnoscunt, nec, ut par est,

est, admirantur, sed ubi aliqua uel homi-
num iniuitate, uel casu, fortunæque ar-
bitrio nobis sunt erepte, tum graui earum
desiderio commouemur, & amissas inani-
bus uotis nobis restitui stulte postulamus.
Quis enim hunc soelicem & tranquillam
reipublice statum, quem in pace inclusum
tenemus, ante satis, quanti sit, ponderat,
& animo, quo debet, complectitur, quam,
bello exorto, oia nobis charissima Mar-
tis seuicia, & belli fulmine de manibus ex-
torquentur, quam religio conculcatur, pa-
rentes & liberi antic oculos foede iugulan-
tur, matronæ & uirgines rapiuntur, for-
tunæ & facultates nostræ impio & barba-
ro militi sunt preda, omniaque sacra &
profana horribili & formidabili incendio
consummuntur, tum stultorum instar icti-
tadém sapimus, tum pacis commoda sen-
timus, & magistratus tranquilli beneficia
non sine lachrymis recordamur, reque ipsa
experimur nos ante principis opera, cui
ius uirtute pax retenta erat, fortunatos &
foelices fuisse. Quare expurgiscamur &
presentia pacis commoda, & hanc reipu-

B iii bluc

blice fortunam, diuturnamque totius ditionis tranquillitatem, ut singulare Dei donum per hunc magistratum nobis clementer datum grata mente & animo agnoscamus atque exosculemur. Non enim aut Iudea, Salomone reipublicæ clauum retente, aut Roma, Numa Pompilio imperante, fuit pacatior & quietior, quam ditione Megapolitana, Henrico in ea summum magistratum gerente. Nec hanc pacis laudem aliqua latrocinij macula contaminavit, qua nonnullæ huius ditionis partes aliquando asperge fuerunt, quod eam culpam neque uoluntas, neque aliqua dissimulatio principum, sed priuata magistratum dissentio sustinebat, qua cum gubernatorum animi atque consilia diuellerentur, factum est, ut latrunculi alicubi latearent, & uiatori sua detraherent, quod animis atque oculis regentium distractis satis obseruare eos specularique non possent, ut semper discordia & in primis magistratum aliquid publici mali secum trahit. Verum ille pacem admirabatur, ut certissimum publicæ salutis fontem, & communis

munis libertatis propugnaculum, & contra bellum, ut pestem & perniciem reipublicæ omnium maxime detestabilem exercitabatur. Quapropter illam, ut celeste nomen, ueneratus est semper & coluit, & hoc, ut furiam, & manifestum societatis ciuilis exitium semper odit, & constanter fugit. Vnde & laudatissimus princeps pulcherrimum cognomen inuenit, ut ELEPHENOPOLIS, hoc est, pacis autor & conseruator uulgo diceretur. Si igitur nihil habemus prius religione, nihil charius coniuge, parentibus, & liberis, si nihil dulcius foco & refamiliari, sit nobis & charus & uenerabilis is magistratus, per quem illa oia salua & incolumia nobis uoluit esse Deus, idq; hoc turbulētissimo seculo, & in communī prope oīm calamitate, qua ubiq; gentium omnia armorū strepitū, & bellorum procellis concutiuntur & exanimantur, ut si nostrum ocium & tranquillitatem cum aliorum fuga & miseria comparemus, ex infelici hoc mundo sublati & in insulas fortunatas traducti uideri possimus, ubi omnis erumnae, qua


B iiiij hæc


hæc ætas grauiter conflictatur, expertes
uitam optabilem & beatam transigamus.
O fœlicitatem omnium opinione maiore,
& toti mundo omnibus uotis expeten-
dam, & nos stupidos & iniquos, si non
cum aliqua charitate & benevolentia usur-
pemus memoriam tot ac tantorum bene-
ficiorum, & pleno ore ea laudemus. Tum
ad hanc uitæ tranquillitatem accedit liber-
tas non huius seculi, sed ætatis plane au-
reæ, qua nos tum beneficio legum, tum
æquitate magistratus, in summo ocio no-
stris fortunis & opibus, pro eo ac liberta-
tis leges ferunt, fœlices & beati fruimur
& utimur, cum ceteræ gentes per orbem
terrarum, contra disciplinam & consuetu-
dinem à maioribus acceptam, asperitate
suum magistratum grauiter preman-
tur & nimis compilentur, perinde ac si ille
ordo non à Deo reipublicæ custos esset
constitutus, ut bonos tueretur & ornaret,
sed in hoc datus, ut sibi suauia & commo-
da quereret & amplecteretur. Quapro-
pter agnoscamus nostram fortunam & fœ-
licitatem, quibus non sine Numine con-
tigit


tigit is, qui boni pastoris partes in suis cu-
randis exequi gauderet, & pro hoc ma-
gistratu, pietate in ecclesiam, liberalitate
in scholas, & æquitate, & benevolentia
in suos singulari, agamus æterno Patri
sempiternas gratias, qui primus magistra-
tuum huius ditionis, filio Dei eius consi-
lia clementer fortunante, pie laborauit, ut
tota hæc ditione uera Dei noticia & cognitio-
ne Christi illustraretur, seduloq; operam
dedit, ut schola recte constituta domiciliū
doctrinæ Christianæ, & liberalium artiū,
& omnis humanitatis, in hac ditione sem-
per floreret, ne quando uel ecclesiæ, uel
iuuentutis institutioni uel cæteris reipub-
licæ partibus uiri scientia doctrinæ sacræ
& uirtutibus & literis ornatí deessent. Ad
hæc tanta beneficia adiungitur longis-
simi temporis & pax & tranquillitas, quā
Deus per hunc principem in hodiernum
usque diem clementer nobis concessit.
Quam ob rem memores tot & tantorum
beneficiorum, debita benevolentia & gra-
ta memoria talem magistratum à nobis
nunc discedentem in æterna tabernacu-

B v la &

la & istud sanctorum concilium reuerenter
prosequamur, agamusq; cælesti patri
pro hoceius uicario, quo saluo, hec respu-
blica semper fœlix, & incolmis stetit, gra-
tias sempiternas & immortales, at Deum
optimum maximum pie suppliciterque
oremus, ut hos magistratus illius successo-
res egregia uoluntate et excellenti uirtute
principes Deus suo spiritu & luce sic res-
gat, sic illuminet, ut toti ditioni ad omnem
pietatis cultum, et Dei gloriam rite ac reli-
giose pregeant, & sicut omnibus partibus
reipublicæ gerendis uersentur, ut nullum
prudentis magistratus, & pñj principis of-
ficium in illis iure desiderari possit, sibiq;
immortale decus & sempiternam glori-
am, & toti huic ditioni salutem &
fœlicitatem, ut optimo Magis-
tratu dignum est, pariant
atque relinquant.









uiideantur. Habetis optimi principiis aim
& studium in scholas & literas. Nuucd
pace, qnod ex tribus ultimum erat, sequi
tur, ut paucis, sicut de ceteris, differantur.
Qua nescio an ipsa respublica à Deo
optio daretur, ullum munus, religio
cepta, aut sibi melius & utilius, i
bus gratius & dulcius optare p
enim ditioni omnia pulchra, or
gia gignit & producit, illa altr
artiū, largitrix diuīciarum, &
publica boni conseruatrix
non abs re à poeta inter
& dignitate excellenti e
opulenta, & beatos i
uos. Illa enim uere re
& opulentas reddi
pletat, qd ille Plutu
tantí boni princ
mus, tantam f
annos quadr
stratum ges
catam, & a
quillam c
uulgaris

B ij tio &

